Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich

1669

Caput XI.

urn:nbn:de:bsz:31-162645

Visual Library

non multiplicetur ipsa essentia. At quid inhæreo hisce speculationibus philosophicis, quas D. Heid. à scholâ Thomistarum (nam his ipsi Thomistæ conantur probare, quòd implicet, idem corpus esse simul in pluribus locis circumscriptivè) mutuavit? Si quidem, licet Thomistæ hanc implicantiam propugnare studeant: nihilominus præsentiam definitivam corporis Christi in Evchariſtiâ, etiam simul in pluribus locis existente, non tantùm fatentur, possibilem esse, sed cum Synodo eandem quoque actu asserunt, ac non minùs strenuè defendunt. En quantum abſit, ut hæc argumenta ad præsentem quæstionem controversisticam faciant! At verò hoc ipsum adhuc meliùs patebit cap. 12.

CAPUT XI.

SOLVITUR IX. ARGUmentum.

OBijcit IX. D. Heideg. *Corporalis & substantialis ejusmodi præsentia pia antiquitati ante scholasticorum avum*

planè fuit incognita, uti fusè docet erudi-
tissimo opere Edmundus Albertinus, nec
non Forbesius. Instruct. lib. 12. 6. *& Jo-*
annes Forstius in dissertationibus sacris,
Nota est veterum formula & hortatio
in Evchariſtiæ usu, sursum corda, *quam*
ex Cypriano allegat Gratianus, dist. 1.
de Consecrat. Can. Quando autem,
Basilius in Psal. 33. Corpus Christi reci-
pere, ait, τὸ νοητὸν σῶμα τῦ ἔνδον ἀνθρώ-
που, intellectuale interni hominis os,
Chrysost. serm. 24. in 1. Cor. 10. *no-*
tat, eos, qui ad corpus Domini accedere
volunt, aquilis esse similes debere, & in
ipsum cœlum transvolare. Augustinus
tract. 50. in Jo. Quomodo in cœlum ma-
num mittam, ut ibi sedentem teneam?
Fidem mitte, & tenuisti. *Ambrosius*
ser. 56. de temp. *asserit, Christum à nobis*
tam longè abesse corporaliter, quantùm
distat cœlum à terris, tangi nihilominus
fide ab iis, qui eum mentis devotione quæ-
runt. Hæc D. Heid.

Nunc tandem D. Heideg. ne autho-
ritate piæ antiquitatis (id est, Ecclesiæ
primitivæ Doctorum ac Patrum) pror-
sus destitutus, imò, uti hactenus vidi-
mus,

mus, oppugnatus ac convictus videatur, hanc ipsam authoritatem pro suâ opinione non veretur afferre, ut ita, quantum fieri potest, aliquam saltem veritatis speciem ipsi addat. At quàm frustra in hoc casu laboret, mox clarè patebit, si more solito, argumentum ipsius in formam syllogisticam redegero. Priùs tamen notari velim, me supponere, quòd D. Heideg. per *corporalem præsentiam* intelligat ipsam veri corporis præsentiam, quemadmodum *per præsentiam substantialem* intelligimus præsentiam veræ substantiæ, præscindendo à præsentiâ circumscriptivâ ac definitivâ. Quòd si autem D. Heideg. per *corporalem præsentiam* intelligit eam præsentiam, qua corpus circumscriptivè juxta suam naturalem exigentiam secundùm proprium modum quantitatis, præsens alicubi est, concedo corpus Christi hoc sensu non esse corporaliter præsens in Evchar. ut supra f. 241. dixi, & dicam sequenti cap. 12. En syllogismum.

In controversijs fidei id, quod piæ antiquitati cognitum ac creditum fuit;

non autem id, quod ipsi prorsus incognitum, & tantummodò â Scholasticis quibusdam excogitatum fuit, asserendum & credendum est.

Sed corporalis & substantialis præsentia corporis & sanguinis Christi in Evchariſtiâ piæ antiquitati ante scholasticorum ævum planè incognita, & tantummodò à quibusdam illorum excogitata fuit.

Ergo, in hac fidei controversiâ, corporalis & substantialis præsentia corporis & sanguinis Christi in Evchariſtiâ non est asserenda, & credenda.

Majorem supponit D. Heideg. indubitatè veram. Nec immeritò: nam cùm pia antiquitas (puta Doctores & fideles primitivæ Ecclesiæ) Apostolis vicinior, & ab ipsis, ipsorúmque discipulis erudita, & ab ipso S. Spiritu inter tam duras persecutiones illuminata fuerit, absque dubio veram ac puram fidem habuit. Et cùm usum Evchariſtiæ (velut alterum, post incarnationem, principale fidei mysterium) maximi fecerit (uti ex Act. c. 2. vers. 42. & 46. Et cap. 20. vers. 7. &c. patet)

tet) non poteſt prudenter dubitari, quin veram hujus myſterij fidem ac cognitionem habuerit. Tum ijs temporibus floruerunt Patres & pijſsimi & doctiſsimi, qui varijs jam tunc exurgentibus hæreſibus ſe fortiter oppoſuerunt, ideóque S. Scripturas ſtudioſiùs perlegerunt, ſenſum genuinum acutiùs inveſtigârunt, & quem agnoverunt, fideliùs quoque tradiderunt. Cur ergo, dum novæ oriuntur fidei controverſiæ, & de aliquo articulo fidei ſeu genuino S. Scripturæ ſenſu diſceptatur, cur, inquam, non inquiramus, quid pia antiquitas de illo articulo, ſeu loco S. Scripturæ ſenſerit, & crediderit? Partes litigantes proprijs animi paſsionibus in ſuas partes trahuntur, quid ergo prudentiùs facere poſſumus, quàm attendere, quid pijſsimi & doctiſsimi illi Doctores, ante exortam controverſiam impaſsionati, ſenſerint, ac docuerint? Hoc cognito, cur nova inventa, & à recentionibus primum excogitata meritò ſuſpecta non habeamus, idque credamus, quod pia agnovit, & credidit antiquitas?

Minorem *fusè*, ait D. Heidegg. *docet eruditissimo opere Edmundus Albertinus &c.* Imò ex Patribus prædictis loca quædam (absque dubio præ alijs selectiora, atque ad propositum suum efficaciora) adducit. Quare, cùm argumentum debitâ formâ constet, id non immeritò, quasi fortissimum, posteriore loco ponendum videri potest. Quid ergo respondebimus?

Resp. I. per inst. & sequentem syllogismum oppono.

In controversijs fidei id, quod piæ antiquitati cognitum, & ab ipsâ creditum fuit, non autem id, quod ipsi planè incognitum, & tantummodò à recentioribus quibusdam excogitatum fuit, asserendum, & credendum est.

At corporalis & substantialis præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistiâ piæ antiquitati planè cognita, & ab ipsâ credita, nec tantummodò Scholasticorum ævo à quibusdam recentioribus excogitata fuit.

Ergo, in hac controversiâ fidei, corporalis & substantialis præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistiâ asserenda & credenda est. Major

Major est illa ipsa, cujus veritatem etiam D. Heidegg. in suo argumento supponit. Minor hæc nostra clarioribus, & pluribus locis SS. Patrum ex piâ antiquitate probatur supra parte 1. cap. 8. 9. 10. & 11. & quidem ex illis ipsis SS. Patribus, ex quibus D. Heidegg. loca aliqua, quasi suæ opinioni faverent, colligit: imò adducuntur à nobis loca clara ex alijs in piâ antiquitate non minus celebribus Patribus, qui omnes primis quatuor & quinque sæculis floruerunt. Argumentum est in eâdem formâ: cur ergo non prudentius agamus, si nostræ potiùs, quàm D. Heideggeri Conclusioni assentiamur?

Resp. II. directè. Majorem utique concedo, at nego Minorem, utpote manifestissimè falsam. Et quidem ut ejusdem falsitas, quasi manibus, palpari possit, quæro 1. *si corporalis, & substantialis ejusmodi præsentia piæ antiquitati ante Scholasticorum ævum planè fuit incognita*, quis Scholasticorum hujus præsentiæ fidem primus docuit? Tum

quando hoc scholasticorum ævum incepit? Hujus doctrinæ primum Auctorem D. Heideg. non assignabit, nisi ipsam piam antiquitatem à Christo per Apostolos, eorúmque Successores eruditam. Ævum autem scholasticorum, ut id recentiùs demonstret, assignabit seculum undecimum (nempe annum 1100.) quo seculo floruit Petrus Lombardus Parisiorum Episcopus, qui quatuor libris collegit SS. Patrum, & priorum Theologorum sententias, quemadmodum Gratianus eodem ævo Canones collegit. Quare, uti hic Canonistarum, sic ille Scholasticorum Magister dici solet. 2. Hæc præsentia corporis Christi non tantùm est difficilis captu, sed juxta doctrinam D. Heideg. *ne cogitari quidem potest*, prorsúsque impossibilis est; quo modo ergo factum est, ut fides hujus præsentiæ in universalem Ecclesiam introduceretur? 3. Cùm Scholastici, jam primo suo ævo, in quæstionibus, quæ ab ipsis primùm excitabantur, nec jam decisæ velut articuli fidei, ab universali Ecclesiâ credebantur,

tur, plurimùm dissentirent, quomodo factum est, ut & ipsi scholastici omnes in hac arduâ quæstione convenerint? Ipse D. Heideg. ait (ut videbimus object. 10.) *Scoto, Richardo, Thomæ, Bonaventuræ &c. aliisque Scholasticis de modo hujus præsentiæ minimè convenire*, quomodo ergo factum est, ut de re ipsâ, nempe de reali hac præsentiâ ipsis convenerit? Certè alia vera ratio dari non potest, nisi quia *corporalis & substantialis ejusmodi præsentia jam ante ævum Scholasticorum piæ antiquitati planè fuit cognita*, & velut articulus fidei credita, ita ut nullus Scholasticus, nisi se piæ antiquitati ac universalis Ecclesiæ doctrinæ opponere vellet, quæstionem hanc in dubium vocare ausus fuerit.

Dicet forsan D. Heideg. quòd Berengarius Turonensis natione, & Archidiaconus Andigavensis jam seculo decimo, nempe circa annum 1051. cum quodam Joanne Scoto, corporalem ac substantialem hujusmodi præsentiam apertè negaverit, & docuerit, *panem & vinum, quæ in altari ponun-*

tur, *post consecrationem solummodò Sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri* JESU *Christi esse.*

Concedo, Berengarium hoc docuisse (uti ex ejus abjuratione postmodum non semel factâ videre est) at nolim, ut quis putet, dictum Joannem Scotum fuisse celeberrimum illum Scholasticum, Joannem Duns, dictum Scotum; quia natione Scotus erat: hic enim plusquam centum annis post Bereng. vixit, & corporalem ac substantialem corporis & sanguinis Christi in Evch. præsentiam non minùs, quàm S. Thom. (cui aliàs se in plùribus quæstionibus merè scholasticis opponere solet) subtilissimis suis scriptis propugnavit: maxime autem *in 4. sent. dist. 10.* Cæterum ex Historiâ Ecclesiasticâ & Concilijs certum est, quòd, quàm primùm doctrina Berengarij innotuit, ipsi, tanquam doctrinæ novæ, & piæ antiquitati contrariæ mox sese opposuerit Lanfrancus, priùs Berengario valde familiaris; tum etiam Guidmundus & alij. Imo cùm ipse Berengarius

suam

ſuam doctrinam (quemadmodum D. Heidegg.) ex Dei verbo, ſobriâ ratione, & antiquitate &c. ſe demonſtraturum offerret, habita ſunt, ut audiretur, diverſa Concilia, in quibus auditus probationibus ſuis ſuccubuit, & ita manifeſtum reliquit, doctrinam ſuam novam, piæ antiquitati, verbo Dei, & ſobriæ rationi contrariam eſſe: quare, ut talis, damnata fuit, imò & ipſe Berengarius tandem eam, tanquam hæreticam, publicè abjuravit.

Nunc quæro: an non hinc manifeſtè patet, pluſquam centum annis ante ævum ſcholaſticorum, ab univerſali Eccleſiâ hujuſmodi præſentiam corporalem & ſubſtantialem corporis Chriſti in Evchar. cognitam, & creditam fuiſſe?

Prædictus Lanfrancus, qui ſe inter alios Berengario fortiùs oppoſuit, quid magis, quàm ipſam piæ antiquitatis, ac univerſæ Eccleſiæ fidem objecit? Is hæc, quæ ſequuntur, ſcripſit in commentario illo, quem contra Berengarium edidit: *Tempore S. Leonis Papæ delata eſt hæreſis tua* (alloqui-

tur Berengarium ipsum) *ad Apostolicam sedem. Qui cùm Synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique ordinis è diversis regionibus religiosarum personarum: jussum est in omni audientiâ recitari, quas mihi de corpore & sanguine Domini literas trãsmisisti. Portitor quippe earum Legatus tuus, me in Northmannia non reperto, tradidit eas quibusdam clericis. Quas cùm legissent, & contra usitatissimam Ecclesiæ fidem* (NB.) *animadvertissent: zelo Dei accensi, quibusdam ad legendas eas porrexerunt. Itaque factum est, ut non deterior de te, quàm de me fuerit exorta suspicio, ad quem videlicet tales literas destinaveris, putantibus multis, me fovere ac favere, quæ à te dicerentur, vel gratiâ, qua te diligerem, vel fide, qua revera ita esse indubitanter tenerem.*

Hic idem Lanfrancus in extremo libro contra Bereng. quid suo tempore de præsentiâ Christi in Evch. ab universali Ecclesiâ creditum fuerit, adhuc clariùs hisce refert : *Interroga universos,* inquit ad Bereng. *qui linguæ Latinæ*

Latina, nostrarûmve literarum notitiam perceperunt: interroga Græcos, Armenios, seu cujuslibet nationis quoscunque Christianos, uno ore hanc fidem se testabuntur habere: puta hanc fidem corporalis ac substantialis præsentiæ hujusm. quam contra Berengarium Lanfrancus cum Concilijs, utpote à piâ antiquitate traditam propugnavit.

Resp. III. D. Heid. omnibus locis Patrum, quæ ex Edmundo, Forbesio & Vorstio affert, abutitur, ijsque sensum affingit, de quo SS. Patres ne cogitârunt quidem. Et quidem, ut distinctiùs, & sic etiam clariùs hoc ostendam, ad quemlibet locum specialiter respondeo. Sit ergo:

§. I. *Quid S. Cyprianus senserit.*

1. Ait D. Heidegg. *Nota est veterum formula & hortatio in Eucharistiæ usu,* Sursum corda, *quam ex Cypriano allegat Gratianus. &c.*

Resp. I. D. Heid. hoc loco, qui prorsus nihil contra nos pugnat, abutitur. Nam verum quidem est, hæc est veterum formula, qua utebatur pia antiquitas in usu Eucha. nempe in

Missâ

Missâ seu Lithurgiâ, uti patet ex Lithurgijs SS. Basilij, Chrysost. & Missalibus Romanis, ac Ambrosianis. At quid inde? An ideo negatur præsentia corporalis Christi in Euch. & quidem post consecrationem? An non hac formulâ adhuc utimur, & quidem, quemadmodum pia antiquitas, ante consecrationem? Quid præsentiæ huic corporali, quæ fit per consecrationem, officit, si ante eam jubemur *Sursum corda* habere? An non SS Prophetæ *sursum corda* habuerunt, desiderantes adventum Messiæ clamando: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum:* Isa. 45. v. 8.? Ergône hinc deducimus, quòd Christi adventum in verâ corporali & substantiali præsentiâ futurum non crediderint? Contrarium potiùs deducitur. Sic dicere possem, juberi nos in usu Euchar. *Sursum corda* habere, & quidem ante consecrationem, ut Christi adventum in corporali & substantiali, licet nõ visibili, præsentiâ inde exspectemus. Sanè in oratione Dominicâ dicimus: *Pater noster, qui es in cœlis*: an ideo negamus

mus, Patrem cælestem etiam in terris esse, imò & ubique?

Resp. II. Et verum hujus formulæ sensum trado. Utimur adhuc veterum hac formulâ, & jubemur, ut corda nostra præparemus ad Deum Patrem, qui à Christo dicitur esse in cœlis, orandum, obsecrandum, ipsique gratias agendum. Quòdsi D. Heidegg. Gratianum ipsum legit, vel ipsum Cyprianum, vel si legerit Lithurgias antiquas SS. Basilij, Chrysost. &c. vel adhuc nostra Missalia, hoc ipsum ex illis optimè discet. Audiat Cyprianum ipsum serm. de oratione Dominica, quem loco cit. Gratianus citat: *Quando autem*, ait, *stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & secularis abscedat; nec quidquam tuncanimus, quàm id solùm cogitet, quod precatur. Ideo & sacerdos ante orationem, præfatione præmissâ, parat fratrum mentes dicendo:* Sursum corda; *ut dum respondet plebs:* Habemus ad Dominum, *admoneatur, nihil aliud se, quàm Dominum, cogitare debere.*

re. Claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei, tempore orationis, adire patiatur. Hæc Cypr. Et quid hæc contra nos?

Cæterum, quòd S. Cyprianus *præsentiam corporalem hujusmodi* & cognoverit, & docuerit (ne plura aliunde afferam) satis patet ex hoc ipso sermone. Nam explicaturus vers. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hæc verba mox addit: *Quod potest & spiritualiter, & simpliciter intelligi: quia & uterque intellectus utilitate divinâ proficit ad salutem. Nam panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est: & quo modo dicimus* Pater noster: *quia intelligentium & credentium pater est; sic & panem* nostrum *vocamus; quia Christus, noster (qui corpus ejus contingimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum absenti & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur; ipso pra-*

prædicante & monente: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æterum. Panis autem, quem dedero, caro mea est pro sæculi vita. *Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est, eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communicationis accipiunt: ita contra timendum est, & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso & dicente*: Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. *Et ideo* panem nostrum, *id est, Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, à sanctificatione ejus, & corpore non recedamus.* Vide dicta fol. 105.

En, amice lector, quàm manifestè S. Cyprianus corporalem corporis Christi præsentiam in Eucha. suppo-nat. Quàm expressè hîc loquitur de usu Eucharistiæ? Et quidem, an non hunc usum recommendat ex verbis Christi Joan. 6. ? Qua fronte ergo

ausus

ausus fuit dicere D. Heidegg. supra fol. 441. quòd in cap. 6. Joan. de Evchariſtiâ *ne gry quidem* agatur? Quod ſi quis mentem S. Cypr. melius cognoſcere vult, videat etiam ea, quæ inter alios Bellarminus ſolidiùs, quàm Edmundus, docuit lib. 2. c. 9. de Evch.

§. 2. *Quid S. Baſilius ſenſerit.*

2. Ait D. Heidegg. *Baſilius in Pſal. 33. Corpus Chriſti recipere*, ait, *intellectuale hominis os.*

Reſp. D. Heidegg. hoc loco abutitur: nam verba, quæ affert, non ſunt propria verba S. Baſilij; nec S. Baſilius loc. cit. ſolùm de Evchariſtiâ, ſeu de ipſo corpore Chriſti, ſed in comuni de omni modo, quo Deum etiam Patrem ſolâ cognitione percipimus, & guſtamus, loquitur. Explicat enim Pſal. 33. v. 9. *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, &c.* Certè David his verbis non loquebatur ſolùm de guſtu, quem habituri erant ij, qui devotè ſumerent Evchariſtiam, ſed etiam, & propriè de guſtu, quem jam ſuo tempore habituri erant ij, qui Deum, ejuſque bonitatem bene agnoſce-

noscerent, & veluti gustarent. Audi verba S. Patris: *Multis in locis observavimus*, ait, *quòd animæ vires iisdem appellantur nomenclaturis, quibus membra externa vocantur. Quoniam verò Dominus noster verus est panis, & ejus caro verus est cibus: necesse, ut voluptas lætitiæ panis per gustum spiritualem in nobis gignatur.* Hæc Basil. En S. Pater non negat, corpus Christi orali manducatione sumi; sed solùm affirmat, quòd *voluptas lætitiæ panis*, ideſt, fructus hujus oralis vel solius spiritualis manducationis, ab ipsâ animâ *per gustum spiritualem* percipiatur, quod utique etiam nos concedimus. Paulò post ait: *Nisi veritatis dogmata diutino examine probaverimus: non poterimus unquam nostrâpte experientiâ Domini suavitatem intelligere; Gustate autem dixit &c.* En, quàm clare de quacunque manducatione, & ideo etiam de eâ, quæ per solum intellectũ fit, loquatur! At unâ affirmatâ non negatur alia: quemadmodum affirmatâ præsentiâ meré spirituali, non negatur Sacramentalis per symbola, uti ipsi adversarij

sarij fateri coguntur. Quid ergo hic locus D. Heideggero contra nos inservit? Planè *ne gry quidem.*

Quòd autem S. Basilius præsentiam corporalem hujusmodi & cognoverit & crediderit, ostensum est supra parte 1. c. 11. f. 207. Plura loca vide apud Bellarm. lib. 2. cap. 15. de Evchar. Quo sensu autem Evchariſtia à S. Basilio & alijs PP. vocetur *Antitypum* corporis Christi, vide sup. fol. 194.

§ III. *Quid S. Chrysost. senserit.*

3. Ait D. Heidegg. *Chrysostomus* Serm. 24. in 1 Cor. 10. *notat eos, qui ad corpus Domini accedere volunt, aquilis esse similes debere, & in ipsum cœlum transvolare.*

Resp. I. Huic argumento eadem responsio dari potest, quam ad locum S. Cypriani dedimus §. 1.

Resp. II. D. Heidegg. hoc loco S. Chrysost. manifestè abutitur. Nam 1. concedo, quòd S. Chrys. loc. cit. dicat, *aquilis esse similes debere eos, qui ad corpus Christi accedere volunt*, imò & eos, qui sumpto Christi corpore ab Altari rece-

recedunt. Sed quid inde? An ideo in Evchariſtiâ corpus Chriſti verè ac realiter præſens eſſe negat, & ſolummodò in cœlo quærendum docet? Minimè. Sed contra docet, eos *aquilis eſſe ſimiles debere*, intuitu tam præſtantis cibi, quo per Evchariſtiam paſcuntur, nempe ipſo vero corpore & ſanguine Chriſti in Evchar. realiter ac ſubſtantialiter præſentibus; adeóque convenire, ut contemptis rebus terrenis ac carnalibus, velut aquilæ, non niſi cœleſtia appetant. Audi ipſa verba Chryſoſt: *Ad hoc nos vocat*, ait, *illud terribile & formidandum ſacrificium, jubens, ut cùm concordiâ maximè ad ipſum accedamus, & ardenti charitate; & inde effecti aquilæ ad ipſum cœlum evolemus.* En dum corpore Chriſti paſcimur, aquilæ effici debemus; & *quidē ad hoc nos vocat illud terribile & formidandum ſacrificium.* Imò quo ſenſu Chriſtus dixit: *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Matth. 6. v. 21. hoc eodem ſenſu Chryſoſt. (ut in allegoriâ eâdem perſiſtat) applicat id Matth. 24. v. 28. *Ubi cadaver, illic & aquilæ*: & mox

móx addit: *Cadaver corpus vocans propter mortem. Nisi enim ille cecidisset, nos non surrexissemus. Aquilas autem vocat ostendens, quòd oportet eum* (NB.) *qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, & cum terrâ nihil habere commune, neque deorsum trahi, & serpere; sed assiduè Sursum volare, & ad solem justitiæ aspicere, acutósque, & perspicaces habere mentis oculos: aquilarum enim, non gracculorum hæc est mensa. Ipsi tunc quoque ei occurrent è cœlis descendenti,* (NB. Christum descendere) *qui nunc dignè percipiunt, sicut indignè, extrema pâtientur. Nam siquis regem non temerè, nec inconsideratè exceperit: quid dico regem? ne vestem quidem certè regiam temerè & inconsideratè immundis manibus contrectaverit quisquam &c. quomodo Dei corpus, qui est super omnia, quod est mundum, & nulli affine reprehensione, quod cum illâ divinâ naturâ est conversatum, propter quod sumus, & vivimus, propter quod fracta sunt portæ inferorum, & aperti fornices cœli, hoc accipiemus cum tanto probro & contumelia?* En quemadmo-

modum de tactu vestis regiæ (utique vero ac reali) ita & de tactu corporis Christi loquitur. Et addit: *Ne rogo, ne nos ipsos occidamus per impudentiam; sed cum timore & summâ puritate ad ipsum accedamus, & quando ipsum videris propositum,* (NB. in altari sub speciebus Evchariſt.) *dic: propter hoc corpus non sum ego amplius terra, & cinis: non sum amplius captivus, sed liber: propter hoc spero, me accepturum cœlos & omnia bona, quæ in eis sunt, vitam immortalem, Angelorum conditionem, cum Christo consuetudinem. Hoc corpus clavis confixum, & flagris cæsum non tulit mors. Hoc corpus in crucem actum sol quum vidisset, suos avertit radios. Propter hoc & velum tunc scindebatur, & petra rumpebatur, & terra quatiebatur. Hoc est illud corpus, quod fuit cruentatum, quod lanceâ percussum, & salutares emisit fontes universo orbi terræ, unum quidem sanguinis, alterum verò aquæ. Vis etiam aliunde vim ejus intelligere? Roga mulierem profluvio sanguinis laborantem, quæ non ipsum, sed, quâ indutus erat, vestem, imò verò nec*

eam totam, sed solam ejus attigit fimbriam &c. Hæc Chrysost. citato serm. 24. Dic, amice Lector, an non D. Chrysostomus clarissimè loquitur de verâ, reali & substantiali præsentiâ corporis Christi, dum dicit, id *de cœlo descendere; propositum in altari videri; velut vestem regis, imo ejusdem personam excipi: & attingi*, quemadmodum mulier illa fimbriam vestis Christi tetigit? Cur toties repetit: *Hoc est illud corpus &c.* nisi ut veram, ac realem ejusdem præsentiam in Evchar. inculcet? Non credo, quòd D. Heideg. hunc sermonem legerit; non enim ipsum tam impudentem mihi persuadeo, ut hujus sermonis meminisse ausus fuisset. Alia loca jam supra ex hac eâdem hom. vel sermone cit. vide fol. 93. 132. 134. &c. 277. 327. &c. Vide & plura alia ex aliis homil. fol. 92. & 93. Vide inter alios etiam Bellarm. lib. 2. cap. 22. de Evchariſtia.

§. IV. *Quid S. Auguſt. ſenſerit.*

4. Ait D. Heideg. *Auguſt.* Tract. 50. in Joan. ait: *Quomodo in cœlum manum*

num mittam, ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti.

Resp. I. Vanum est etiam hoc argumentum: nam licet Augustinus dicat, Christum teneri spiritualiter per fidē ab ijs, qui in ipsum credunt, hoc ipso non tamen negat, ipsum teneri etiam realiter & corporaliter ab ijs, qui eum non tantùm spiritualiter, sed etiam sacramentaliter percipiunt. Mulier illa (Luc. 8. 44.) Christum primò tenuit spiritualiter, dum ad eum accessit; at postmodum eum etiam realiter tenuit, seu tetigit, dum fimbriam vestimenti tetigit. Unde etiam Synodus docet, corpus Christi sumi posse merè spiritualiter per fidem; at ideo sacramentalem ac realem sumptionem ejusdem non negat, ut supra fol. 234. & 264.

Resp. II. Augustinus loc. cit. explicat locum Joan. 11. v. 56. *Quærebant ergo, & loquebantur inter se: quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit, ubi sit, indicet, ut apprehenderent eum, &c.* His S. Aug. mox subjungit hæc verba: *Nos*

indicemus modò Judæis, ubi sit Christus. Utinam velint audire, & apprehendere, quicunque sunt ex semine illorum, qui dederant mandatum, ut indicaretur eis, ubi esset Christus. Veniant ad Ecclesiam, audiant, ubi sit Christus, & apprehendant eum. A nobis audiant, ex Evangelio audiant. Occisus est à parentibus eorum, sepultus est, resurrexit â Discipulis agnitus, ante oculos eorum ascendit in cœlum, ibi sedet ad dexteram patris; qui judicatus est, venturus est judex: audiant & teneant. Respondent. Quem tenebo? Absentem? Quomodo in cœlum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde. Quoniam Christus absens etiam præsens est. Nisi præsens esset, à nobis ipsis teneri non posset. Sed quoniam verum est, quod ait: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: *& abijt, & redijt, & nos non deseruit: corpus enim suum intulit cœlo, majestatem non abstulit mundo.*

En D. Augustinus loquitur ad Judæos, & ideo non loquitur, de præsentiâ Chri-

Christi in Sacramento (de quâ & reliqui Patres, ut supra f. 204. coram ijs, qui mysterijs initiati non erant, nullo modo, vel non nisi forsan mysticè ac obscurè loquebantur. Cæterùm cùm Judæi Christum tenere desiderarent, suffecit Augustino ipsis unum modum ostendere, quo eum possent tenere, non (quemadmodum eum Patres eorum tenere cupiebant) ipsum capiendo, sed illum amplectendo per veram fidem. Et quidem quia per Sacramentum tenere eum non poterant, nisi priùs eum tenuissent per fidem, meritò Augustinus de hoc solo primo modo clariùs loquutus est. Cæterum, quòd August. realem & substantialem præsentiam Christi in Evchar. agnoverit, vide supra fol. 94.

§. V. *Quid senserit S. Ambrosius.*

1. Ait D. Heid. Ambrosius serm. 56. de temp. *asserit: Christum à nobis tam longè abesse corporaliter, quantùm distat cœlum à terris; tangi nihilominus fide ab ijs, qui eum mentis devotione quærunt.*

Resp. I. Hæc non sunt verba formalia Ambrosij, uti videbimus. Tum licèt totum, quod verba hæc asserunt, concedam, non sequitur, Christum non etiam invisibiliter præsentem esse in Sacramento. Nam quamvis quò ad propriam circumscriptivam ac visibilem præsentiam sit in cœlo, & ab ijs fide attingatur, qui eum mentis devotione quærunt, hinc non infertur, quòd non etiam, & meliùs, ab ijs tangatur, qui eum sacramentaliter accipiunt. Licèt dicam Patrem esse in cœlis, hoc ipso non nego ipsum etiam esse in terrâ: uti jam supra fol. 496.

Resp. II. Et mentem S. Ambrosij explico. Et quidem notandum est, quòd ipse serm. citat. explicet colloquium, quod Christus resurgens cum Magdalenâ, ipsum in sepulchro quærente, habuit, corripiendo illam, dicens: *Noli me tangere, quia nondum ascendi ad Patrem.* Addit Ambrosius, Noli me tangere *increpationis verbum est: hoc est*, Noli me tangere *manibus, quoniam resurrectionem meam mentis oblivione non tenes. Non potes me cor-*

porie

poris tenere complexibus, quem fidei perfectione non tangis. Prohibetur à tactu, quæ amisit auditum &c. Postea explicat Ambros. quo sensu Christus dicat: *Nondum ascendi ad Patrem*, hoc est, ait: *Quid me contingere cupis, quæ me, dum inter tumulos quæris, adhuc ad Patrem ascendisse non credis? Quæ dum me inter inferna scrutaris, ad cœlestia rediisse diffidis? Dum inter mortuos quæris, vivere cum Deo Patre meo non speras? Nondum, inquit*, ascendi ad Patrem, *hoc est, tibi nondum ascendi ad Patrem, quia apud fidem tuam adhuc detineor in sepulchro &c.* Et sic per totum sermonem inhæret verbo *tangere* & *ascendere* in sensu merè mystico & spirituali. En, quemadmodum de S. Augustino dixi, non congruebat hîc agere de præsentiâ in Evchardum Magdalena adhuc de ipsâ resurrectione incredula erat. Christus, ut sapientissimus medicus, hunc morbum (ut explicat S. Ambrosius) curare, & non aliud novum mysterium docere voluit: quare nec S. Ambrosius hoc loco vel minimam mentionem fecit de

præsentiâ vel tactu Christi sacramentali. Econtra verò lib. de Mysterijs init. ubi datâ operâ de Evchariſtiâ agit, realem ac ſubſtantialem præſentiam non tantùm luce clariùs docet, ſed etiam multis ſolidè demonſtrat. Vide quædam citata fol. 71. & 78. Et rurſus fol. 88. & 95.

Ex his collige, amice Lector, & quidem I. quòd D. Heideg. non ſolùm piæ antiquitatis authoritate deſtituatur, ſed eam ſibi habeat prorſus contrariam. Si enim vel unicus S. Pater vel unico verbo negâſſet veram corporis Chriſti in Evchariſtiâ corporalem præſentiam, vel docuiſſet (quod poſtmodum Berengarius, & poſt eum Joannes Vicleff, Zwinglius, Calvinus, & cum ipſis D. Heideg. docet) nempe *corpus & ſanguinem Chriſti in Evchariſtiâ eſſe tantummodò, ut in ſigno, vel figurâ, aut virtute,* quo applauſu ab Edmundo Albertino, nec non Forbeſio, & Joanne Vorſtio (ſi hac de re eruditiſsima opera, ut ait D. Heideg. ediderunt) in publicum productus, & à D. Heideg. exceptus fuiſſet? Certè cùm

D. Heid.

D. Heid. ex operibus illis eruditissimis prædicta Patrum loca præ alijs selegerit, manifestum est, quòd nulla ad suum propositum aptiora invenerit. Quare, cùm hæc ipsa, quæ ipse sibi aptiora judicavit, ad propositum ipsius inepta sint, facilè, mi prudens lector, ex hoc colliges, reliqua ab adversarijs contra nos produci solita adhuc multò ineptiora esse. Cæterum relege illa Patrum loca, quæ parte 1. cap. 8. 9. 10. & 11. ex pluribus produximus, & impassionato animo fer sententiam, an absque temeritate dici possit, quòd *corporalis & substantialis ejusmodi præsentia piæ antiquitati ante scholasticorum ævum plane fuerit incognita.*

CAPUT XII.

REFELLITUR ULTIMUM Argumentum.

D. Heideg. objicit 10. & ait: *Denique Adversarijs de modo hujus præsentiæ minimè convenit, dum alij, nominatim Richardus de media Villa* in 4. sent. dist. 10. art. 2. q. 2. *Scotus* ibid. q. 2. 3. *Gabriel Biel* ibid. art. 2. concl. 3.